

1612 Regibus, suscepit; egregioque ad posteritatem exemplo, praelio sepe victis, saepe arcibus oppugnatis & captis, praefero-
cem gentem vinci posse docuerit. Neque dubium est, si ipse, qui in umbra parietibus septus vitam agebat, aliquando armatus in aciem processisset, quin, tota Germania com-
mota, excitaque ex aliis Europae provinciis ac regnis innum-
merabili prope mortalium multitudine, ingentes victorias re-
laturus fuisset. Egregio in Rempublicam animo fuit: vicissim
mutuis benevolentiae signis certatum: Uscochis a Liburniae
litoribus amotis, iis incommodis, quae Venetorum subiecti
perpetiebantur, prospicere saepe pollicitus; licet quandoque
in eos severius animadverteret, bello turcico fortasse impedi-
tus, promissa non praestitit. Rudolpho mortuo, Romanorum
Rege, qui ei succederet, non designato, ex aureo Caroli
quarti diplomate, imperii procuratio a Rheni Palatino Comi-
te suscepta est, ac pro Imperatore deligendo septemviralia
comitia indicta. Per eos dies Hieronymus Superantius, Rei-
publicae ad Rudolphum orator, cum Pragam pervenisset, ne-
que ob illius valetudinem adire, legationemque obire po-
tuisse, Matthiam Archiducem ibi praestolari a Senatu ius-
sus est; cui Caesaris obitum doluit, atque ab eo benigne
summaque honoris significatione est exceptus.

In Gallia, belli curis omissis, in id Regina imprimis
incumbebat, ut, impubere filio, ac nondum ad regni gu-
bernacula capeffenda idoneo, pacem cum Principibus,
ac praesertim cum Hispanis servaret. Adhuc enim cun-
ctorum haerebat animis, quot superioribus annis eorum
vel astu, vel armis gravia Galliae accidissent. Quocirca
amicitiam cum Philippo mutuis legationibus atque officiis
colere, de affinitate jungenda agere, omnia facere, ut
cum Rex per aetatem dominari posset, regnum pacatum
firmumque inveniret. Stimulabat praeterea femineum ani-
mum ambitio, cum nihil ad gloriam praestantius & cu-
mulatius sibi accidere posse arbitraretur, quam si Hispa-
niarum praepotentis Regis filiam, filio connubio copularet,
filiam vicissim Philippi filio conjugem daret. Itaque re agita-
ta, tandem nuptiae mutuae pactae sunt. Ea re haud parum
Gallorum animi commovebantur: suspectam potentissimorum

Re-